Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

tatibus cepit coruscare. quem tibi dei pon-
tificem constat decuisse. Ornaue-
rat enim illum diuina miseratio. quan-
tum uite meritis. tantum et uirtutum
miraculis. Reddebat enim auctore
suo suis uenerabilibus meritis. cecis lumen
negatum. surdis auditum. debilibus
optabilem reparationem. egrotis desi-
derabilem sanitatem. multis uirtutum
generibus clarus. multisque sanctitatis
signis. confessor Christi mirabilis factus.
Rexit uero sanctus cassianus cathe-
dram augustudunensium talibus
ditatus honoribus uiginti annis.
et tunc sancte peregrinationis sue tempus
finiens. de terris celum petiuit. de hac
mortalitate ad beatam immortalitatem
migrauit: de peregrinatione ad Christi
regnum peruenit. confessor beatissimus pon-
tifex. sacratissimus peregrinus felicitate
ditissimus: in gloria celesti cum sanctis
surrecturus. Post cuius abcessum di-
scipuli sui itineris sui comites. et
peregrinationis socii uite eius qualitatem
describentes ob magistri sui noti-
ciam. et edificationem christianam posteris
reliquerunt. Sed tamen pontificem dominus licet
moriendo sorte humanitatis de terris
ad celos uocaret. uoluit tamen ueris
indiciis ostendere. quod hunc spiritualiter
constet uiuere miro et inaudito

Postquam huiusmodi indicio.
quo ad celestis premia regni be-
atus cassianus uocatus fuis-
set in tumulo eius. qui candido mar-
more exstiterat. diuina uirtus colo-
re contrario crucis dominice uidelicet
passionis signum expressit. ut aperte
daretur intelligi hunc ueraciter esse
redemptum. hunc passione Christi uiatic-

honoratum. ut preciosis mundi orna-
mentis secundum apostolum dicentem. nos autem
gloriari oportet in cruce domini nostri ihesu
Christi. gaudet in signo quod in redemptio-
nis suscepit dono. effectaque crux mi-
rabilis diuina uirtute expressa. quam
possent ulla opificum fabricare manus.

Germanus quoque autisiodorensis episcopus
dum romam pergeret. iter eum
per augustudunensium ciuitatem
contigit habuisse. Dum ergo orationis
gracia loca sanctorum que in eadem urbe habe-
bantur circuiret. ad sepulchrum beati
cassiani peruenit. Ubi cum ex more Christo
funderet preces. de tam uiuidis secum
meritis. beatum cassianum allocutus est
dicens. Quid gloriose frater cassiane
agis? Respondit beatus cassianus uiuens in Christo
loquens de tumulo. Dulci quiete
in pace potior. et aduentum redemptoris
expecto. Cui germanus mutua ser-
monis uice dixisse perhibetur. Queso
ergo in Christo frater. et ut diuine tube cantus
exoptati clangoris sonum. ac sacra
resurrectionis gaudia obtinere me-
rearis. et pro nobis et pro hac plebe attencius
intercede. communem dominum nostrum ihesum Christum.
O inauditum miraculum. et mirabilem
uirtutem. sanctus germanus interrogans
tantis consideratis meritis de respon-
sione non dubitat. et cassianus dudum
sacre mortis in somnum solutus. non solum
audit loquentem. sed etiam sua prolocu-
cione sermonis certum fecit collocu-
torem. dicens se duplici quiete in
pace potiri. illa sine dubio de qua propheta
tam condigna admiratione deo loquens
ait. Quam magna multitudo dul-
cedinis tue domine. quam abscondisti ti-
mentibus te. Illa dulcedine. illa certe